



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

13. Monetae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

fit vt licet ex Bengala, ex Pegu, Malaca, Siano, Camboia, Borneo, ab vsque Iaponia, ipsisque Molucis, onerariæ in Sinas confluant, suumque inde singulæ exportent iustum onus, semper tamen duplum tantum relinquunt, multum præterea procellanæ (quod proprium est eius regni, & pretiosissimum siglinum) rehebant etiam, & ligni medici quod Chinam appellant, ac (ne pergam hic forum mercium explicare) moschi plurimum eximij, & commodo pretio. Abundant enim animalibus à quibus gignitur, quæ planè ab auctoribus oculatis ita describuntur vt Paulus Venetus illa descripserat. Porro illic pecunia nec emitur quicquam nec venditur, nec vsus est moneta feriunda, demtis solum ex ære minutis obolis, Imperatoris imagine signatis, filoque medio inferi, & ferri solitis, quorum mille, nummum conficiunt. Omnis de cætero, non auro sed argento permutatio fit. Merx est aurum, & emitur; emendo nequaquam adhibetur, eius pondus inæstimabile, perpurgati, nec vitæ obrusa egentis, aquæ torrentes de montibus; de venis, fluuij educunt, itaque vel sola Sciensis Prouincia, innumeros occupat cernendis à creta, & sabulo amium, auri grumis, & granis. Dest natum vero emptionibus argentum funditur, fingiturque in nauiculas varias, in quibus haud segnius examinatur pondus, quam materiæ præscripta lex, rebus quidem vilibus emendis, infimus gradatim vero pro emendorum præstantia, perfecta, atque absoluta. Hinc negotij multum, sanè molesti, & anxij circumferendi semper libellam zona, & manu forcem ponderi exigendo; conditionem enim metalli legitimam, eiusque pretium; impressione characteris inspectores argenti indicant. Quamquam ei tractando, iam inde à puero assueti, sola manu prehensum explorant tam callidè vt si quid insertum ferri sit, ex molis, & ponderis dissensione deprehendant, alioqui argento subarando Asiaticos omnes Sinæ vincunt, nec alia ex causa putatur exclusus à communi vsu nummus argenteus nisi ad vitandam Chimicorum perfidiam quæ vna est ex regni totius latissime fusa calamitas. Nunc vbi cunctis est integrum, venditi pretium quam multis voluerit probationibus subdere, sustinendis iis diffisi Chimici, ea periclitatione se abstinent. Atque his hæcenus ad tanti Imperij leuidentiam notitiam satis. Sequitur de incolis ponamus ea saltem quæ scitu digna sunt. Equidem ad numerum quod spectat, iniri potest facilius quam credi. Habent enim libros Prouinciæ singulæ adscriptis nominibus certi generis hominum ex quibus potest aliorum numerus colligi. Lusitani certe stipari omnia turbis virorum cum viderent, quærebant ioco, num illic feminæ vno partu decem masculos ederent? & censer Riccius, annos septem & viginti Sinarum inquilinus, quam superius mirabamur regionum illarum vbertatem angustam fore alendis earum populis nisi essent per se cibi admodum parci, & infinita plebecula, sola prope oriza, herbisque victitaret. Cum ergo terrarum, & aquarum tanta immensitas, tot vbiq; pagis, ciuitatibus, oppidis, domibus tam denso habitatore incolatur, videntur

13.
Moneta.

14.
Sineal. mul-
titudo innum-
merabilis.